

conservari, et sine qua princeps privilegium nullo modo concessisset. Limita tamen id I, quoad causam solummodo impulsivam: Nam cessante solum causa impulsiva, quæ tantum secundario movet principem ad concessionem privilegii, non idcirco cessaret; cum in ea non nitatur.

185. *Si privilegium est contra jus commune, vel tertii.* — Limita id II, cum Zoesio, h. t. n. 32, et Pirhing, n. 169, ut locum habeat solum in privilegio, quod derogat juri communi, aut alterius tertii, ad cujus conservationem etiam requiritur causa. Siquidem privilegium præter jus, seu quod continet meram beneficium principis, ad sui conservationem non requirit aliam causam præter liberalem concessionem: quinimo juxta *Reg. 16, Jur. in 6*: «Decet concessum a principe beneficium esse mansurum.»

186. *Simulque tractum successivum habet.* — Limita III. Ut habeat locum duntaxat in privilegio tractum successivum ad actum seu effectum reiterabilem habente: nam si privilegium in unica tantum actione consistat, puta in dispensatione super matrimonio, jamque habeat suum effectum consummatum, v. g. actualem dispensationem concessam super matrimonio, manebit salvum, etiamsi postmodum causa cesset, et ad casum devenerit, a quo inchoari non posset. Siquidem, ut habet *Reg. 73, Jur. in 6*: «Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.»

187. *Ac causa finalis non tantum negative, sed etiam contrarie cesset.* — Limita IV, cum Engel, h. t. n. 21. Zoesio, Pirhing, et aliis, ut hic modus amittendi privilegium tunc præcipue procedat, quando finis seu causa privilegii cesset negative, quando ratio, quæ movet principem ad concessionem privilegii, non amplius subsistit, usus tamen ejus non est injustus. Contrarie vero tunc dicitur cessare causa finalis privilegii, quando usus propter mutationem materiæ et circumstantiarum factus est iniquus ac injustus: nam cum privilegium de re illicita sit nullum, cessabit, quamprimum causa ejus contrarie cessat: ut verificetur in proposito illud, quod in simili dicitur I. *Uranus*, ff. de *Fidejussoribus*, ibi: «Ut quemadmodum incipere alias non possunt (intellige privilegia cum tali injustitia) ita nec remaneant.»

§ IX.

DE AMISSIONE PRIVILEGII PER RENUNTIATIONEM:
ET QUANDO EA FIERI POSSIT.

188. *Personale privilegium amittitur renuntiatione privilegiati.* — Circa præsentem modum amittendi privilegia, certum est, quod privilegium alicui personæ particulari in ejus solius favorem concessum, per ejus liberam, et expressam renuntiationem amittatur; cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare, uti c. *Si de terra*, h. t. et alibi. Unde et I. *Si quis in conscribendo*, c. de *Pactis*, dicitur: «Regula est juris antiqui, omnes licentiam habere, iis quæ pro se introducta sunt, renuntiare.» Verumtamen «qui juri suo semel renuntiat, non potest postea ad illud pervenire,» arg. c. *Cum inter de Election.* et concordat c. *Quam periculosum*, 7, 11.

189. *Ad amissionem privilegii personalis requiritur acceptatio.* — Intellige hoc, postquam ea renuntiatio a concedente privilegium fuit acceptata: nam ante hujus acceptationem poterit privilegiatus mutata voluntate, non obstante renuntiatione, uti privilegio, arg. c. *Licet de procurat.* in 6, ubi dicitur, quod procurator, qui constitutus ab absente renuit acceptare mandatum, possit pœnitere, seu mutata voluntate illud acceptare, quandiu mandans in eadem persistit voluntate, quod in dubio præsumitur. Ita Zoesius, n. 34, h. t.; Pirhing, n. 173, et alii. Et hæc videntur certa, sed mox ulterius.

190. *Privilegio in favorem communitatis, dignitatis, aut loci concesso per privatum renuntiare non potest.* — Quæritur I. An pariter privilegium principaliter concessum in favorem alicujus communitatis, dignitatis, vel loci, possit renuntiare a personis particularibus cum ejusdem præjudicio? Resp. Negative. Patet id ex c. *Si diligenti, de Foro competent.* ibi: «Cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest.» Hinc ibidem allegatur illud receptum: «Pacto privatorum juri publico minime derogatur.»

191. *Sic clericus renuntiare nequit privilegio fori, aut canonis.* — Sic clerici etiam volentes, et quamvis proprium eorum jura-mentum accesserit, non possunt renuntiare

privilegio fori, vel sibi constituere judicem laicum, prout decisum habetur cit. c. *Si diligenti, de Foro competent.* Neque possunt renuntiare privilegio canonis, textu claro c. *Contingit*, 36, de *Sentent. excommunicat.* ibi: «Cum ille canon non tam in favorem clerici ordinati, quam in favorem ordinis clericalis fuerit promulgatus,» ut ibidem subditur.

192. Nec obstat, quod clericus facto possit renuntiare privilegio clericali, nempe immiscendo se enormitatibus, c. *Cum non ab homine*, etc. *Perpendimus de Sentent. excomm.* Vel per dimissionem habitus, et tonsuræ usque post trinam monitionem, c. *In audientia* et c. *Contingit*, 45, de *Sentent. excomm.* Nam talia sunt jura specialiter statuta «in odium clericalis excessus, et terrorem atque correctionem similium,» cit. c. *Cum non ab homine.* Simulque «frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem,» ut ibidem dicitur.

193. *Nisi in casibus jure expressis. Nec religiosus privilegio ordinis, vel monasterii.* — Similiter religiosi non possunt renuntiare privilegio exemptionis suæ religionis sine consensu Papæ, qui eos ab aliorum ordinum jurisdictione exemit, suæque protectioni immediate subjecit, arg. c. *Cum tempore de Arbitris.* Quamvis nihilominus multi graves doctores velint apud Engel, h. t. n. 48, posse religiosos exemptos subjecere sese episcopo, ut ab eo absolvantur a peccatis et censuris, vel dispensentur cum ipsis in voto, juramento, vel irregularitate, casu quo episcopus, non autem prælatus ordinis, talem facultatem habet: ne alioquin, quod ob gratiam eorum concessum est, in ipsorum retorqueatur dispendium, contra *Reg. 61, Jur. in 6.*

194. *Privilegio in favorem duorum concesso unus altero invito renuntiare nequit.* — Addit Fagnanus in cit. c. *Inter alia de Immunitat. ecclesiast.* n. 89, generale esse, ut privilegio in favorem duorum concesso alter altero invito renuntiare non possit, arg. c. *Ad Apostolicam de regularib.* juncta Glossa ibidem, §. *Monasterii.* Siquidem «in re communi, potior est conditio prohibentis,» juxta *Reg. 56, Jur. in 6.*

195. *Potest tota aliqua communitas, vel religio renuntiare privilegio sibi concesso; quod eidem vel non est utile, vel est indifferens.* — Quæritur II. An saltem tota aliqua communitas, v. g. religio, prælatus cum capitulo,

civitas, vel conventus, possint renuntiare privilegiis sibi concessis? Resp. Affirmative, arg. c. *Cum accessissent, de Constitut. et c. Pro illorum de Præbendis.* Unde et hic locum habet illud commune dictum: «Quilibet suo juri renuntiare potest.» Item, «beneficio nemo uti cogitur,» per dicta supra n. 3.

196. *Non autem, si talis renuntiatio cederet in præjudicium Ecclesiæ, vel communitatis, in quo casu etiam unus de capitulo contradicens impedire potest renuntiationem.* — Intellige, dummodo talis renuntiatio non cedat in Ecclesiæ, vel aliorum præjudicium. Nam privilegio Ecclesiæ nemo potest renuntiare, arg. c. *Contingit*, il. 2, de *Sentent. excomm.* et notat Fagnanus, in c. *Inter alia de Immunitat. ecclesiast.* n. 88. Imo generatim loquendo non potest prælatus, capitulum, vel conventus renuntiare juri acquisito per privilegium, statutum, vel consuetudinem, si tale jus Ecclesiæ sit utile, ac honorificum, adeo ut vel unus solus aliis de capitulo contradicere possit, ac renuntiationem impedire; non obstantibus iis, quæ alioquin doceri solent toto titulo, *De his, quæ fiunt a majori parte capituli.* Quinimo si omnes contra facerent, superior v. g. episcopus posset, ac deberet impedire, quatenus id cedit in damnum Ecclesiæ. Ita Layman, lib. I, tr. IV, cap. xxiii, n. 10; Pirhing, h. t. n. 174, post Innocentium, et alios. De quo vide etiam lib. I, tit. XXI, a n. 544.

197. *Quod si privilegium incipiat esse nocivum, per se cessat.* — Igitur prælatus cum capitulo illis solum renuntiare potest privilegus, ac juribus aliis, quæ Ecclesiæ non sunt utilia, vel saltem indifferentia. Quod si privilegium nocivum esse incipiat, per se cessat, ita ut observari non debeat, juxta *Reg. 61, Jur. in 6*: «Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.» Ita citati doctores.

198. *Datur præscriptio contra privilegium Ecclesiæ, et qualis?* — Verumtamen id publicæ utilitatis causa, atque ad evitandas lites, et ne jura ac dominia rerum diutius maneant in incerto, receptum est, ut propter negligentiam prælati currat contra Ecclesiam præscriptio 40 annorum, arg. c. de *Quarta*, etc. *Ad aures de Præscription.* etc. *Accedentibus, de Privilegiis.* Intellige, nisi Ecclesia ille gaudeat privilegio præscriptionis centenariæ, ut Ecclesia Romana, contra quam non nisi centenaria præscriptio currit.

arg. c. *Cum vobis de Præscriptione*. Imo etiam quidam ordines specialiter sunt privilegiati, ut contra eos non currat nisi præscriptio 60 annorum, ut concessum est ab Eugenio IV ordini S. Benedicti, etque ordinibus mendicantibus concessum esse notant Lessius, lib. II, de *Justit. et jur.* cap. VI, dubit. 7; Engel, tit. de *Præscriptione*. n. 33; Molina, et alii. Verum de præscriptione hac late vide lib. II, tit. XXVI, de *Præscriptione*.

199. *Superiores generales et provinciales in capitulis congregati, possunt explicare, limitare, vel abrogare usum privilegiorum, vel ei renuntiare, ex speciali privilegio nostro ordinis.* — Resp. II. Leo X informatus, quod sint nonnulla vivæ vocis oracula concessa ordini Fratrum Minorum, quorum aliqua aliquibus temporibus fuerunt utilia, sed forte præsentibus non sunt, nec futuris erunt: ac propterea aliqua sunt in aliquibus locis necessaria, et aliqua non concessit, ut non solum generalis in suo generali, sed etiam quilibet provincialis in suo provinciali capitulo de consensu ejusdem capituli, vel majoris partis, declarare possit, et valeat, utrum ab usu alicujus concessionis vivæ vocis oraculo factæ abstinere debeat: postquam quidem declarationem tam fratres, quam moniales, ac si concessio hujusmodi per suam sanctitatem suspensa vel revocata fuisset, concessionem eadem in posterum non utantur. Ita Leo, ut videre est in *Compend. Privileg.* §. Oracula vivæ vocis.

200. *Et Societati Jesu concessio.* — Idem etiam de aliis scriptis privilegiis dicendum esse, recte docet Roderiquez, tom. I, *Rgular.* n. 9, art. 2. Idque probat ex concessione Gregorii XIII facta Societati Jesu, et ratione; quia, cum interpretativa voluntas totius ordinis, vel provinciæ contineatur in capitulis generalibus, et provincialibus, quidquid ab istis fit, a toto ordine, vel provincia fieri censetur: quæ tota utique privilegio renuntiare potest. Id, quod etiam consuetudine et praxi ordinum comprobatur.

§ X.

DE AMISSIONE PRIVILEGIORUM PER NON USUM, VEL ACTUM CONTRARIUM, UBI ETIAM DE PRIVILEGIIS IN SPECIE USU ADHUC VIGENTIBUS.

201. *Privilegia alia sunt affirmativa, alia negativa.* — Nota primo cum Laymano, lib. I, tract. IV, cap. XXIII, et seqq. Pirh., h. t. n. 175, et aliis, privilegia quedam esse

affirmativa, quibus videlicet datur facultas aliquid agendi. Quædam vero negativa, quæ nempe in non faciendo consistunt; ut est privilegium immunitatis a solvendis decimis vel tributis, privilegium exemptionis a jurisdictione ordinarii, etc.

202. *Alia sunt concessa cum gravamine aliorum: alia mere gratiosa sine ullius gravamine.* — Rursum privilegia tam affirmativa, quam negativa alia esse concessa cum gravamine aliorum, ut quoad negativa apparet in allatis exemplis. Quoad affirmativa vero in privilegio imponendi tributa, exigendi decimas. Alia vero sunt meræ gratiæ, et in nullius præjudicium cedentes, ut est affirmativum privilegium celebrandi ante auroram, dispensandi in irregularitatibus, absolventi a casibus reservatis, comedendi carnem in Quadragesima; item negativum privilegium non interessendi processionibus.

203. *Per non usum, aut usum contrarium dupliciter amittuntur privilegia, videlicet vel via præscriptionis, vel tacite renuntiationis.* — Nota secundo, dupliciter intelligi posse quod privilegia amittantur per non usum privilegii, aut contrarium actum. I. Per modum præscriptionis, si nimirum concurrentibus cæteris requisitis, tempore ad præscriptionem sufficienti, et oblata simul occasione utendi privilegio, quis eodem non est usus; aut post actum contrarium sine protestatione factum decurrit tempus ad præscriptionem sufficiens ac necessarium. II. Per tacitam renuntiationem: qui enim sciens et volens, ac non coactus, absque protestatione actum privilegio contrarium exercet, præsumitur in foro externo renuntiare juri suo ac privilegio, si cætera etiam requisita concurrunt. His notatis

204. *Alia ex præfatis via per non usum amittuntur privilegia affirmativa concessa cum gravamine aliorum.* — Queritur I. An, quando, et quæ privilegia affirmativa amittantur per non usum? Ante responsionem scito notanter, hic queri de privilegiis affirmativis; quia hæc sola per non usum amittuntur; sicuti e contra negativa amittuntur per actum contrarium. Hoc notato Resp. I. Privilegia affirmativa concessa cum gravamine aliorum v. g. exigendi decimas, imponendi tributum, etc., per non usum, si cætera requisita concurrant, amittuntur vel via præscriptionis, vel tacite renuntiationis. Communis est etiam, arg. c. *Cum sept.* 24.

de *Offic. delegat.* ibi: *Cum noluerit, quod poterit.* et l. 1, de *Nundinis*, ibi: « Nundinis impetratis a principe non utendo qui meruit, decennui tempore usum amittit. » Item c. *Si de terra, de Privileg.* ubi dicitur: « De privilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluistis; cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare. » Ratio est, quia etiam aliæ obligationes servitutes tam reales, quam personales, v. g. transeundi per aliam viam taliter amittuntur, ut amplius dictum est lib. II, tit. XXVI, de *Præscriptione*.

205. *Ad quod tamen requiritur I. Quod privilegiatus habuerit occasionem utendi privilegio.* — Resp. II. Ad hoc, ut privilegia affirmativa cum gravamine aliorum concessa amittantur per non usum, plura requiruntur. Patet conclusio inductione. Imprimis enim requiritur, quod fuerit occasio utendi privilegio, et tamen eo usus non fuerit privilegiatus; hæc enim ubi deest, non amittitur privilegium, etsi per mille annos nullus exerceatur actus privilegii, uti fatentur omnes, arg. l. *Artificinus. ff. de Servitut. Rustic. præd.*

206. *Et notitiam illius.* — Secundo, ut scienter omittatur usus privilegii, id est, ut quis sciat se habere privilegium, et tamen data bona occasione, eo uti omittat; qui enim ignorat, se habere privilegium agendi hoc aut illud, non amittit, si illo uti omittat. Innocent. in c. *Accedentibus princip.* h. t. Donatus, tom. I, p. 1, tract. XII, q. 6, n. 6. Pirhing, h. t. n. 175, cum communi aliorum, arg. l. *His, qui usum fructum. ff. Quibus modis usus fructus vel usus amittitur.*

207. *Et libere, id est, sine ulla coactione, aut impedimento illo uti omiserit?* — Tertio requiritur, ut privilegiatus sponte et voluntarie omittat uti privilegio, si enim quis violenter, aut ob infirmitatem vel absentiam ab usu impeditur, privilegium non amittit. Glossa, in cit. c. *Ut privilegia*, 25, h. t. §. *Semel in anno.* Donatus, loc. cit. n. 5. Pirhing, loc. cit. et communis aliorum, fuitque aliquoties decisum teste Donato. Ratio horum est; quia deficiente uno ex his requisitis nulla adest culpa, ob quam privilegiatus privilegio privari posset, nec indicium voluntariæ renuntiationis, nec sufficiens via præscriptionis, ut considerandi patet.

208. *Et quidem tempore ad præscriptionem requisito, si hac via omitti dicatur.* — Quarto requiritur sufficiens tempus, si via præscrip-

tionis amitti dicatur, de quo tempore infra n. 224.

209. *Privilegia affirmativa, quæ sunt meræ gratiæ (uti sunt etiam indulgentiæ) nunquam amittuntur per non usum.* — Resp. III. Privilegia affirmativa, quæ sunt meræ gratiæ, atque in nullius gravamen cedunt, v. g. celebrandi ante auroram, absolventi, dispensandi, et hujusmodi, per merum non usum nunquam amitti. Glossa, in c. *Ut privilegia*, h. t. §. *Semel in anno.* Layman, citans Suarezium, et Pirh., h. t. n. 176. Engel, hic n. 19. Bassæus, §. *Privilegium*. 3, n. 16, post Bonacinam, Roderiquez, et alios. Idemque nonnulli extendunt ad indulgentias perpetuas, quæ per longum tempus non amplius fuerunt usitatae, idque ob paritatem rationis.

210. *Probatur ratione.* — Accedit ratio, quia imprimis hujusmodi privilegia non amittuntur via præscriptionis, cum nemo sit qui contra hujusmodi privilegia non onerosa præscribere possit. Neque amittuntur per tacitam renuntiationem, quia quisque liberam facultatem habet privilegio utendi, vel non utendi: unde cum in similibus non usus vel usus contrarius sit actus liberæ facultatis, qui non inducit præscriptionem, vel renuntiationem, non videntur talia privilegia per eum amitti, dummodo habeant causam successivam et affectum iterabilem. Hinc in simili *Voluntariæ, c. de Excusat. tutorum*, dicitur: « Voluntariæ tutelæ munera privilegii nihil derogant: » id est, si quis contra suum privilegium sponte suscipit unam tutelam, non ideo censetur renuntiasse privilegio, ita quasi deinceps posset compelli et aliam in posterum suscipere.

211. *Et solvitur instantia.* — Quod si obicias contra hanc doctrinam textum n. 104, relatum. Resp. Privilegium celebrandi nundinas numerari inter privilegia onerosa; quia mercatoribus in tali loco existentibus nundinæ sunt onerosæ, eo quod ob copiam adventantium mercatorum non possint merces suas pretio cariore ditrahere. Vel certe hoc est speciale de privilegio nundinarum; quia specialiter expressum in jure, ut non nisi sub tali conditione a principe concedatur: quod proinde tanquam odiosum non est extendendum ad alia privilegia meræ gratiæ, quibus talis conditio neque ex jure scripto, neque ex consuetudine annexa est.

212. *Privilegia negativa mere gratiosa non*